



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Theologia Moralis**

**Reiffenstuel, Anaklet**

**Monachii, 1699**

II. Quid, & quotuplex sit Indulgentia?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40206**

Quomodo  
dispensatur?

9. Resp. I. Considerando Theaurum Ecclesiæ, prout constat ex meritis Christi, sic ipse dispensatur, nobisque applicatur varijs modis, videlicet per Sacramenta, per Missæ Sacrificium, perque alia pia opera Fidelium, ipsasque Indulgentias. Ratio est: quia quotiescunque aliqua culpa, vel poena nobis remittitur, aut aliquod gratiæ auxilium præstatur, semper Theaurus meritorum Christi nobis applicatur, & distribuitur; eo quod huiusmodi beneficia nobis non conferantur, nisi intuitu atque virtute meritorum & Passionis Christi.

Præsertim,  
ut includit  
satisfactio-  
nes Sancto-  
rum?

10. Resp. II. Spectando Theaurum Ecclesiæ, prout non solum ex meritis Christi, sed etiam ex satisfactionibus Sanctorum constare intelligitur, sic ipse duntaxat per Indulgentias dispensatur. Ita Suarez *part. 3. tom. 4. disp. 51. sect. 4.* & Maltrius *disp. 23. Theol. Mor. num. 9.* cum communi. Ratio est: quia Sacramenta, Missæque Sacrificium habent suam dignitatem, atque valorem ex opere operato, duntaxat ex meritis & Passione Christi, qui solus, utpote Redemptor noster, promeruit nobis facultatem, per bona opera consequendi gratiam vitamque æternam; ac proinde per hæc nobis non applicantur merita sive satisfactiones Sanctorum, benè tamen per Indulgentias. Et de his loquendo, sic

## Q U Æ S T I O II.

Quid, & quotuplex sit Indulgentia?

Indulgen-  
tia, quid?

11. **C**ONCL. I. *Indulgentia*, quantum ad propositum, est Remissio poenæ temporalis, peccatis actualibus, quoad culpam jam remissis, coram Deo adhuc debitæ, ab habente potestatem facta per applicationem sufficientis & condignæ solutionis ex communi Thesauro Ecclesiæ. Hæc definitio in re est communis Theologorum, & patebit ex declaratione ipsius.

Hæc non tol-  
lunt culpã,  
sed poenam  
peccatorũ.

12. Dicitur, *remissio poenæ temporalis*. Quia Indulgentiæ non valent ad remissionem culpæ, neque mortalis, neque venialis; sed solum ad remissionem poenæ temporalis, quæ post culpam jam remissam non ratò restat luenda, prout omnes Theologi fatentur. Accedit ratio: quia peccatum mortale non potest tolli, nisi per infusionem gratiæ sanctificantis; hæc autem non confertur per Indulgentias, sed solum per Sacramenta, in re, vel voto ritè suscepta. Et quamvis peccata venialia multis remedijs expiari possint, ut docet Concilium Trid. *Sess. 14. cap. 5.* nihilominus ipsa quo-

quoad culpam non dimittuntur per Indulgentias: nam hæc sup-  
plent locum satisfactionis, peragenda post culpam jam remis-  
sam; & consequenter hanc non remittunt, sed virtute boni mo-  
dis interioris, aut recepti Sacramenti prius jam ablatam sup-  
ponunt.

13. Unde Indulgentiæ valent duntaxat ad tollendam, per  
modum condignæ solutionis, poenam peccatis quoad culpam  
jam remissis non raro adhuc debitam, seu restantem: ac proinde  
effectus earum solummodò est, tollere poenam peccatis debi-  
tam per applicationem sufficientis solutionis ex Thesaurò Eccle-  
siæ (a) non verò ipsammet culpam peccatorum. Ceteræ par-  
ticularæ datæ definitionis patebunt ex dicendis in progressu.

14. CONCL. II. Indulgentiarum variæ sunt divisiones. Ita  
communis, idque patet inductione. In primis enim indulgentiæ  
quoad quantitatem poenæ, quæ remittitur, dividuntur in ple-  
narias, & non plenarias. *Indulgentiæ plenariæ*, seu totales sunt, qui-  
bus remittitur tota poena temporalis, peccatis quoad culpam  
jam remissis debita.

15. Ubi sciendum, quòd aliqui distinguant inter Indulgen-  
tiam plenam, pleniorè, & plenissimam: cujus distinctionis fun-  
damentum desumunt ex *Extravag. Antiquorum. de Pœnit. & remiss.*  
ubi Pontifex pro Anno Jubilæi non solum plenam, & pleniorè, imò  
plenissimam omnium concedit veniam peccatorum. Sed reverà quoad  
effectum remissionis poenæ temporalis, nullum inter eas appa-  
ret discrimen; cum non solum Indulgentia plenissima, sed etiam  
plenior, & plena, in ritè dispositis conferat omnium veniam pec-  
catorum, sive poenarum pro peccatis quoad culpam prius re-  
missis debitarum. Neque per illum loquendi modum Pontifex  
aliud intendit, quàm concedere *Indulgentiam ad eò plenam, prout Cla-  
vium potestas se extendit*; sicuti Papam interpretatum fuisse in Con-  
sistorio, testatur Glossa ibidem, *v. Plenissimam.*

16. Nihilominus quoad specialia privilegia, & annexas fa-  
cultates, potest cum Marchantio *Tom. 3. Tribunalis. tract. 5. tit. 2.*  
*q. 3. Mastrio cit. disp. 21. num. 21.* & quibusdam alijs, sequens inter  
dictas Indulgentias notari discrimen: ut *Indulgentia* dicatur ple-  
na seu plenaria, quando tota poena, post culpam adhuc in Foro seu  
iudicio Dei debita, per applicationem Thesauri Ecclesiæ remit-  
titur. *Plenior*, quando potestas extraordinaria absolvendi à Ca-  
sibus reservatis superadditur. *Plenissima*, quando ultra hæc etiam  
dispensationes in Votis, & hujusmodi vinculis conceduntur:

Eeeee 2

pro-

Earum ef-  
fectus.

(a) *Modo  
uberius  
declaran-  
do n. 38.*

*41. & 42.*  
Indulgen-  
tiarum di-  
visio.

Plenariæ,  
seu totales,  
quid?

Indulgen-  
tia plena,  
plenior, &  
plenissima,  
non diffe-  
runt quoad  
remissionè  
poenæ?

Benè tamem  
quoad ali-  
quas facult-  
tates.

prout fieri solet in Jubilæo ( de quo procedit cit. Extravag. *Antiquorum* ) ac Indulgentijs in forma Jubilæi datis.

Indulgentia non plenaria, seu partialis, quæ?

17. Porro *Indulgentia non plenaria*, seu partialis dicuntur illæ, quæ solum sunt remissivæ partis poenæ temporalis, peccatis quoad culpam jam remissis debitæ: ut sunt Indulgentiæ certorum annorum, aut dierum; item Indulgentiæ illæ, quæ dicuntur *Quadragesima, Septenna, Carena*; aut quando remittitur tertia, vel quarta pars peccatorum.

Indulgentia certorum annorum,

18. Quod si quæras, quid intelligatur per Indulgentias mille, vel centum annorum, aut dierum, item per *Quadragesimam, &c.* Resp. I. Sensus hujusmodi Indulgentiarum non est, quod totidem dies, vel anni poenæ Purgatorij remittantur; cum dentur Indulgentiæ nonnullæ decem millium annorum, nec tamen verisimile sit, Purgatorium, quod post diem extremi Judicij mox cessabit, adhuc decem millibus annorum duraturum. Unde

Aut dierum, quomodo intelligenda?

19. Resp. II. Sensus illius locutionis, ac hujusmodi Indulgentiarum est, quod per talis Indulgentiæ collationem tanta poena cuiquam remittatur, quanta remitteretur virtute illius poenitentiae, quæ secundum formam Juris, & consuetudinem Ecclesiæ olim statuebatur, si ipsa tot diebus vel annis in hoc Mundo perageretur. Quæ verò, & quanta ea sit, optimè novit, ac determinavit Dominus Deus. Et conformiter dicitis.

Quadragesima, seu Quadragesima, & Septenna,

20. Resp. III. *Quadragesima, seu Quaresima*, est Indulgentia quadraginta dierum; id est, relaxatio tantæ poenæ, quanta fuisset redempta per poenitentiam quadraginta dierum, olim ab Ecclesia pro certis peccatis statutam. Porro *Septenna*, est Indulgentia septem annorum; seu relaxatio tantæ poenæ, quanta fuisset remissa ob poenitentiam septem annorum. *Carena* verò, est Indulgentia utramque prædictam complectens: ita, ut sit remissio tantæ poenæ, quanta fuisset redempta per poenitentiam quadraginta dierum in pane & aqua peractam, & per aliam poenitentiam septem annorum subsequenter. Tannerus tom. 4. disp. 6. dubit. 8. n. 99. & alij magis communiter.

Carena, quid?

Hæc malè negliguntur.

21. Quia igitur ejusmodi poenitentiae, olim ab Apostolis, sacrisque Canonibus sancitæ, admodum graves extiterunt, per quas proinde multum expiari poterat de poena temporali peccatis debita: hinc meritò Gobat tract. 2. *Quinarius, cap. 3. num. 286.* observat, eos pessimè sibi consulere, qui ad solas Indulgentias plenarias attendunt, neglectis dierum vel annorum indulgenti-

gentijs, quas tamen sæpissimè sive pro se, sive etiam pro Defunctis intra modicum temporis spatium lucrari possent.

22. CONCL. III. Ulterius Indulgentia ratione subiecti, cui Indulgentia conceditur, dividitur in personalem, localem & realem. *Indulgentia personalis est, quæ directè conceditur alicui personæ determinatæ, vel toti Religioni, aut Communitati: quales plures concessæ sunt Religiosis, & varijs Confraternitatibus.*

23. *Indulgentia localis est, quæ alicui pio loco conceditur ad ejus devotionem augendam, in ordine ad personas in tali loco orantes, aut alia præscripta opera ibidem peragentes: quales sunt illæ, quæ conceduntur devotè visitantibus hanc vel illam Ecclesiam, ibique orantibus. Et hujusmodi Indulgentiæ dicuntur locales, non quòd ipsi loco secundum se concedantur (solum enim homo est capax Indulgentiarum, non verò Ecclesia materialis, utpote quæ est res inanimata) sed quia Fidelibus in tali loco devotè orantibus concedantur.*

24. *Indulgentia realis est, quæ conceditur rebus mobilibus, utputà Granis, Numismatibus, Imaginibus, Rosarijs, aut hujusmodi, in ordine ad homines. Et hæc Indulgentia pari passu ambulat cum locali, dempto eo, quòd localis Indulgentia loco, sive devotè ipsum visitantibus; realis autem rei mobili, sive eam devotè penes se habentibus, atque opera ad Indulgentiæ consecutionem præscripta peragentibus, concedatur.*

### QUÆSTIO III.

De Potestate concedendi Indulgentias, & Conditionibus ad earum valorem requisitis.

25. CONCL. I. Datur in Ecclesia potestas divinitus collata D. Petro, ejusque legitimis Successoribus, concedendi Indulgentias, & per earum concessionem dispensandi Thesaurum Ecclesiæ. Ita certa omnium Catholicorum, estque de Fide; & patet tum ex cit. Extravag. *Unigenitus* tum ex Concilio Trident. Sess. 25. in Decreto de Indulgentijs, ubi sic loquitur: *Cum potestas conferendi Indulgentias à Christo Ecclesia concessa sit: atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit: Sacrosancta Synodus Indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem, & Sacrorum Conciliorum auctoritate probatum,*

Ecce 3

tum,